

P. 6. 44

oo K

Theologie
P. VII 35t. 625.

Elegia

IN HONOREM
 NUPTIARVM REVE-
 RENDI ET CLARISSIMI
 VIRI D. CVNRADI ALLMANNI D.
 NICOLAI CANONICI, SPON-
 si: & pudicissimæ virginis MARGA-
 RETÆ STEINBECCIÆ,
 sponsæ. Scripta

A

M. Hermanno Plassio
 Schonenbecio,

MAGDEBVRGI,

Excudebat VVilhelmus Rosß, Anno
 1584.



ELEGIA' NVPTIALIS.

Alma salutiferas Aurora refecerat herbas,
Extulerat roseos gurgite Phæbus equos.
Vitiferos colles & amenos cultibus hortos,
Et murmur repeto prætereuntis aquæ.
Hic ubi *VVSTHOFIVS* Musis nunc extruit ades,
Agrestiq; suo dat sacra iura viro:
Scilicet vt solito recolam de more Camœnas,
Fatidicoq; feram debita thura *DEO*:
Assuetus studijsq; sacris, & rure beato
Compositæ mentis gaudia nostra sequor.
Sic ego: sed sancta volucer cum matre Cupido
Constitit ante pedes Diua puerq; meos:
Hic cinctus stabat iaculis, armatus & arcu:
Illius ornabant myrtea ferta caput.
Nec satis id fuerat: trepidans formidine pectus
Et *Venus* & *Veneris* natus ad arma vocant:
Arcum tendit amor: meditatur bella cupido:
Insidias nobis & struit ipsa *Venus*.
Parce puer (dico) volucres auerte sagittas,
Nam tacito nullum pectore vulnus alo,
Ille. sed expectat thalamum tadasq; iugales,
Virgineos inter *MARGARA* virgo choros,
MARGARA Steinbeccum claro de sanguine nata,
Tam celebris forma quam pietate grauis.

Tu

Tu licet à iaculis maneas hoc tempore liber,
 Et nequeant pectus tela ferire tuum.
 Attamen illa nequit celeres vitare sagittas,
 Sed graue transfixo pectore vulnus habet.
 Vulnus habet, nemo poterit quod fortè leuare.
 Vellet Apollo licet ferre salutis opem,
ALLMANNVS fixum vulnus bene leniet illud
 Speratamq; diu ferre tenebit opem.
 Bis Septembris ubi fert septem Lucifer axes,
 Et sacra caelestes libra mouebit equos.
 Ergo tuus dicat tædas & gaudia versus,
 Et sponfos celebret coniugiumq; canat.
 Dixerat: Ecce venit multa comitante puella,
 Conspicuis dulci Phæbus Apollo fide.
 Accinctus pharetra, telis instructus & arcu:
 In manibus citharam dulce ferebat onus.
 Sed quæ virginibus facies: quæ forma puellis:
 Non potero versu dicere fortè meo
 Laureæ cingebant auratosserta capillos,
 Vincebant primas candida colla niues.
 Obstupui: trepidusq; comas erexerat horror,
 Nullus & in toto corpore sanguis erat.
 Sanctus ubi sensit, trepidas mihi vellicat aures,
 Delphica cui seruit terra domusq; **DEVS**.
 Pone metus, inquit, quæ dico percipe mente,
 Percipe de cælo quæ tibi iussa fero.

Est tibi virginea iuuenis benè notus in vrbe,
Qui tenet à forti nomina clara viro.
Ille breui vitæ sociamq; cubilis habebit,
Percipietq; tori gaudia grata sui.
Illius huc pariter nunc nos aduenimus ergó,
Quotquot in Aonio numina monte sumus.
Ut duo cum sponsi socialia fœdera iungunt,
Cantemus fausto carmina grata toro.
Dixit, & ad Cytharam iungens modulamina vocis,
Edidit imparibus talia verba modis.

A P O L L O.

Cynthius vt roseam pulsis Hyperionis astris,
In matutinis lampada tollit equis.
Sic tua virgineam fulget bona fama per vrbem,
Et nihil ALLMANNO sanguine maius habet.
Tu vetus exuperas nomen virtutibus illud,
Ingenio doctos vincis, & arte viros.

C A L L I O P E.

Cum tua Parthenope celso circumdata vallo,
Sanguineoq; diu milite cincta fuit.
Et spectauit vbi Virgo de mœnibus altis,
Innumeros equites, innumerosq; Duces.
Maiorum tumulos & celsas Virginis arces,
Defendit vestra gloria gentis auus.

Clio.

CLIO.

Et te Pierides & nomina clara parentum,
Et te commendat Religionis amor.
Namq̄ colis Christum, Christi mandataq̄ seruas,
Dum sacrum gaudes excoluisse torum.
Et potius nuptæ seruire fideliter vni,
Quam Veneri sacras eripuisse faces.

POLYMNIA.

Cornibus exornat veluti Latonia cælum
Mense ferè medio quando nitere solet.
Sic pia purpureis exornat vestibus ædes,
Quæ colit ex imo pectore nupta virum:
Quæ præstat virtute sua: quæ Palladis artes,
Quærere quæq̄ tenet commoda multa domus.

THALIA.

Hæc lana noctes & acu traducere luces,
Hæc nouit caro rite placere viro.
Hæc castas inter natas sobolemq̄ tenellam,
Plurima pensa trahit, multaq̄ vota facit.
Hæc est & gemmis & caro carior auro,
Nectaris huic fontes Ambrosiæq̄ fluunt.

EUTERPE.

A 3

MAR

MARGARA sponsa venit, quæ te dominumq; virumq;
Noscit, iò pergas Margara sponsa venit.
MARGARA sponsa venit comitū celeberrima turba,
Quam decorat pietas, ingenuusq; pudor.
Et similes Ebori dentes & eburnea colla,
Labraq; purpureis anteferenda rosis.

ERATO.

Sanctus adest præco: vult dextræ iungere dextram:
Mystica vult sancti dicere verba tori.
Non bene viuit homo vitam sine coniuge, vitam
Absq; tori socia non benè viuit homo.
Ergo composito iungatis fœdere dextras,
Reddatisq; sacro debita iura toro.

VRANIE.

Et nisi præfagi fallunt me sydera cœli,
Euenient vestro fata benigna toro.
Nam spondent sortem vobis & pignora lecti,
Quæ mensas ornent exhilarentq; domum.
Qualiter exornat diuinæ Palladis arbos,
Immensaq; suo munere ditat agros.

MELPOMENE.

Nunc liceat thalamoq; frui sociog; cubili,
Nunc sperata diu Margara vota capis.

Misnia

Misnia quot segetes, quot flauas Albis arenas,
Quotue soporiferum grana papauer habet:
Delitias tot sponsa voluptatesq; cubilis,
Mille voluptates, gaudia mille feres.

TERPSICHORE.

Non lites intrent lectum, nec iurgia lingua,
Dulcia qua turbent gaudia sepè tori.
Nec quid tu sponsa poteris pie sponse negare,
Oscula mille dabis, basia mille feres.
Qualis Chaonia deuinctus amore marita,
Nescit amans volucris fallere iura sue.

Talia, si memini, cecinèrunt carmina Musa,
Lauriger vt mouit Phæbus Apollo lyram.
Hic inter corylos, geniales inter & uuas,
Paruus vbi strepit hic, qui salit, amnis aqua.
Hæc Cunrade tibi nostræ do pignora mentis,
Munera cum nequeam mittere, verba dabo.
Gratulor: ô sanctis præeat concordia tædis,
Eueniant vestro commoda multa toro.
Sit facilis thalamus tibi, nec sit amara iugalis
Vita tibi, felix sis, nec adito styga.

F I N I S.

Alles was ich in der Welt
habe, das ist nur ein
Schatten, ein Abbild
von dem, was ist.

T E R T I U M

Non bis in idem laqueum
non bis in idem laqueum
non bis in idem laqueum
non bis in idem laqueum

Tunc si quis in laqueum
non bis in idem laqueum
non bis in idem laqueum
non bis in idem laqueum
non bis in idem laqueum
non bis in idem laqueum
non bis in idem laqueum
non bis in idem laqueum

F I N I S



AB 52 5/k, 8

ULB Halle


3

001 943 405



sb





Elegia

IN HONOREM
 NUPTIARVM REVE-
 RENDI ET CLARISSIMI
 VIRI D. CVNRADI ALLMANNI D.
 NICOLAI CANONICI, SPON-
 si: & pudicissimæ virginis MARGA-
 RETÆ STEINBECCIÆ,
 sponsæ. Scripta

A

*M. Hermanno Plassio
 Schonenbecio.*

MAGDEBVRGI,

*Excudebat VVilhelmus Rosß, Anno
 1584.*

